



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

70. De reditu à Româ S. Willibrordi. De Pipini donatione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

annis, quibus annis magnitudinem Occidentalis Ecclesiæ inuasit? Quo pacto armis, arte, dolo, tantum spoliū sibi tulit? Quos Reges, Principes debellauit? Nihil. Na-  
 &us est & retinuit Pontifex Christi Vicarius illud ius, non raptu, sed nutu, iure diuinis; vtitur eā facultate in Occidentem à Christo S. Petro eiusque successoribus concessa dum ei Petro est dictum, *Pasce oues meas*, non Romanæ tantū vr̄bis, sed omnes totius orbis. Exempla exercitorum actuum sacrorum Ordinum per singula sæcula ab exordio Ecclesiæ possent produci Imperatoribus, Regibus, Principibus, non contradicentibus, imò cum reuerentiā eos sæpè efflagitantibus, quibus tamen satis erat virium ad compescendum Pontificem si quid Tyrannicè aut iniustè attentasset. Lege Alb. Pighium de Ecclesiasticā Hierarchiā, Bellarminum, Baronium & Ecclesiasticas Historias. Ita Pipinus non fuit pressus, coactus, à Rom. Pontifice S. Willib. Romam mittere consecrandum; vltro-  
 neus, spontaneus, cum subiectione, additis litteris commendatitijs postulatorijs, misit, optimè sciens quid supremo in terris Christi Vicario competeret, vt & S. Willibrordus, Bonifacius alijsque Sanctissimi Præfules.

## D I S S E R T A T I O L X X.

De reditu à Romā S. Willibrordi. De Pipini donatione.

**S** Willibrordus post quatuordecim dies in vr̄be trāfactos, Archiantistitis honore decoratus redit in Franciā seu Austrasiā ad Pipinū Herstallum, à quo indubie gratulabundo pro noua dignitate reuerēter est acceptus. Ita idem vbi primum certo nuntio accepit

accepit cognatū suum Hubertum S. Lamberto successisse, splendido cinctus comitatu, salutandi & gratulandi causa ad eum Traiectum venit. Erat Pipinus Sanctorum Episcoporum Apostolicorumque virorum amantissimus, quamquam per id temporis occæcatus libidine (quæ humana miseria est) in S. Lamberti sui monitoris & increpatoris persecutoribus nimium coniueret nimiumque tribueret. Cupiens Frisiorum salutem Ecclesiæque promotionem, sedem Episcopalem inter Frisios stabilivit donans Willibrordo (ait Beda) *locum cathedra Episcopalis in castello suo illustri quod antiquo gentium illarum vocabulo Wilsaburg id est oppidum Wiltorum, lingua autem gallicâ Traiectum vocatur, &c.*

Hic nota ex Beda antiquum loquendi modum, quo nomine Castellum vrbs tota siue oppidum veniebat. Ea tempestate cum paucissimæ essent vrbes vallatæ, multitudo populi habitabat eo modo quo nunc in pagis rurales: loco adiunctum interdum erat castellum, in quo vel Princeps vel honoratior degebant, quibus reliqua multitudo erat subiecta, populi etiam defensionis seruiens. Vnde factum est vt totum appellaretur tamquam à parte honoratiori & capite cui reliqua erant quasi annexa: & qui castellum donabat, reliquum vrbs tanquam conexum & cohærens donare censebatur. Sic in antiquis scriptis Antuerpia Castellum nominatur, quamquam ab olim vrbs fuerit celebris & nobile emporium teste Sigeberto. Sic Dorestatum castrum, item Dionantum castrum pro vrbus legitur, & hic oppidum Wiltorum, castellum. Similem loquendi formam etiamnum vsus retinet, verbi gratia, in pagis qui dicitur Dominus castelli simul intelligitur Dominus pagi & possidere pagum adiacentem tamquam concomitantem.

Collige 2. E dictis verbis Bedæ perperam quosdam sentire Pipinum urbem Ultraiectensem S. Willibrordo dedisse eo iure quo postea tenuit. Verba Bedæ nihil aliud ferunt, quam donasse ei locum in castello quod Wiltraburg dicebatur, non autem ipsum Castellum aut Wiltraburgum; quemadmodum dissert. 79. & 220. plenius docebimus.

Nota, esse aliquos qui Wultraburgum siue Castrum Wultraburgum aliud faciunt ab Ultraiecto siue Castro Ultraiecto, quemadmodum Chartæ aliquæ Chorographicæ exhibent illud distans ab urbe Ultraiectensi ultra pagum Vechtē. Verum antiquiores Historici pro vno eodemque loco ea habent, vt Beda, Hucbald. Sigebertus, Becanus & ordinariè recentiores, quibus ego accedo. Wultraburgum positum extra Ultraiectum, videtur error, aut certè nomen ex alio affini posteriùs corruptum. Potius ibi statuenda esset Fethna, de quâ diploma C. Martelli quod recitabimus diff. 120.

#### DISSERTATIO LXXI.

De reuersione S. Willibrordi ad Frisios. Refutatur Pseudomarcellinus de Comitatu Teisterbandiæ.

**D**imissus à Pipino, ad suos Frisios properat; cui scribitur S. Swibertus Embricam vsque salutabundus occurrisse simulque Ultraiectum repedasse anno 697.

Addit Marcellinus cap. 11. S. Swibertum absente Willibrordo totum Comitatum Teisterbandiæ conuertisse multumque in Frisia fructificasse. Inueniuntur insuper